UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 76 ad 100

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1764

VD18 15558428-001

Psalmus XCII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53423

Visual Library

& Palmarum sint futuri. Quia non in campis silvæ, nec desertis montibus, sed in Ecclesiâ Dei per rectam fidem plantati, & aquis Sacramentorum, & verbi Dei rigati, in caritate fundati, & radicati flores honestatis, & fructus bonorum operum parient.

℣. 14. *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, & bene patientes erunt, ut annuntient.*

Quod ℣. 10. dixerat de se, jam dicit de aliis justis. *Adhuc*, præterea justi multiplicabunt dies vitæ suæ usque ad senectutem viridem, & pinguem humore vitali, & adhuc facilè patientes erunt laborum, ob firmam corporis constitutionem. Illud, *ut annuntient*, pertinet ad ℣. seq.

℣. 15. *Quoniam rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.*

Hæc omnia evenient justis, ut notum faciant omnibus aut verbo, aut exemplo suo, quòd Dominus Deus noster justus est, & nulla in eo iniquitas: quoniam licèt ad tempus impios prosperari sinit, tamen suo tempore justitiæ suæ judicia exercet, remunerando justos, & puniendo iniquos.

PSALMUS XCII.

Titulus, & Argumentum: *Laus cantici ipsi David in die ante Sabbatum, quando fundata*

data est terra. Titulus hic solùm habetur in codicibus Græcis, & Latinis, licèt non omnibus.

Videtur, qui titulum addidit, voluisse Psalmum decantari feriâ sextâ, quæ est dies ante Sabbatum, quia hic narratur, terram à Deo fuisse firmatam, vel, ut alii legunt, inhabitatam, scil. ab homine, & animalibus, quod rectè dicitur factum esse feriâ sextâ. Eodem die per Christi passionem, ac mortem renovata, ac reparata est terra, & stabilita in Regnum Christi, devicto, & triumphato mundi Principe. Porrò Ecclesia Christiana Psalmum hunc canere solet in aurorâ Diei Dominicæ, ad Laudes; quia Christus etsi Regnum acquisierit per passionem, & fundamenta novæ terræ jecerit feriâ sextâ; tamen possessionem Regni accepit, quando resurrexit, & tunc induit decorem, & fortitudinem, *quod in aurorâ Dominicæ diei factum esse credimus.*

℣. 1. *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.*

Sensus esse potest literalis & de creatione, & redemptione mundi. *Dominus regnavit*, regnare cœpit; indutus est gloriam, & robur Regi necessarium, & accinxit se ad regnandum, & gubernandum. Per creationem regnare cœ-

pit, quia cœpit habere subditos. Christus in resurrectione accepit Regnum; indutus est decorem gloriosi corporis, & fortitudinem, quia data est illi omnis potestas in cælo, & in terrâ: præcinxit se ad propagandum Regnum suum per Apostolos usque ad fines terræ.

℣. 2. *Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.*

Regnare cœpit Deus ab initio mundi, quia tunc *firmavit*, ab imis fundamentis constituit *orbem terræ, ut commoveri non possit*, & sic præbuit hominibus, qui Deum Regem agnoscere, eique servire debent, stabilem mansionem. Christus per passionem, & resurrectionem suam orbem terræ, qui variis motibus à Dæmonibus agitabatur, dum alii aliis Diis serviebant, firmavit, ac stabilivit in unâ, ac verissimâ religione, & fide.

℣. 3. *Parata sedes tua ex tunc: à sæculo tu es.*

Quamvis *sedes Regni tui parata sit ex tunc*, h. e. ex rerum creatione; vel ex resurrectione: tu tamen non tunc esse cœpisti, sed *à sæculo*, ab æternitate, sinè principio es, nempe plenitudo essendi, in quâ omnia continentur; tu nec ante creationem pauper, nec post eam locupletior. Solâ caritate, & misericordiâ mundum

dum creavit, & reparavit, ut nobiscum bona sua communicaret.

℣. 4. *Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt flumina vocem suam.*

℣. 5. *Elevaverunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum.*

℣. 6. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.*

Hæc si ad creationem referantur, significant modum, quo Deus terram habitalem fecit, ut esset firma sedes generis humani. Initio enim creationis, aquæ terram universam operiebant, & magno motu inundationes aquarum elevabantur; sed Deus altior, & excelsior, & in infinitum potentior increpuit, & compescuit aquas, eásque in cavernas terræ conclusit, eísque præcepit, ut non reverterentur operire terram. Si hæc ad Christum referantur, per ℣. 4. intellige persecutiones Judaorum, qui continuò cœperunt vocem suam elevare contra Evangelium, & illi ubique contradicere. Per *mare*, quod fluminibus est multò altius, intellige persecutiones Neronis, Domitiani, aliorúmque Principum Romanorum. Sed Dominus in altis habitans, mirabilior apparuit, cùm de omnibus persecutoribus victoriam reportaverit, & invitis omnibus,

Regnum suum per omnes terras propagaverit.

℣. 7. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.*

Quantum attinet ad sensum priorem, respondet Propheta tacitæ objectioni, unde scil. ea sciamus, quæ ab initio Psalmi hucusque dicta sunt, cùm nullus testis adfuerit, quia præcesserunt hominum omnium creationem. ℟. id haberi ex testimonio Dei, qui hæc revelavit servo suo Moysi; & testimonium illud valde credibile esse, cùm Moyses multis signis, & prodigiis, aliisque modis servum Dei fidelem, & Prophetam verum se esse probaverit. Idem dici potest de sensu posteriori: testimonia enim Christi per Apostolos ad nos delata credibilia facta sunt nimis, tum ob signa, & prodigia Christi, & Apostolorum; tum quia videmus impleta, quæ dicta sunt; tum ob infinita alia, quæ fidem Christianam omnino credibilem faciunt, ut nemo possit, posteaquam prædicatores audierit, sinè magnâ temeritate non credere. Tum concludit: *decet*, ut *domum*, Ecclesiam Dei, in quâ testimonia illa continentur, & prædicantur, omnes ut sanctam venerentur. Item *decet*, ut, qui in illâ sunt, moribus sanctis respondeant sanctitati testimoniorum

tuo-

ruorum. Demum *decet*, ut à te, Domine, inviolata & sancta conservetur usque ad consummationem sæculi.

PSALMUS XCIII.

TItulus *Psalmus ipsi David, quartâ Sabbati. Titulum hunc in Græcis, & Latinis codicibus tantùm, velut à septuaginta, vel ab aliis adjectum, legunt Hieron. Aug. Theodoret. Euthym. &c. Illud*, quarta Sabbati, *significat cantari solitum ab Hebræis, quartâ die post Sabbatum, h. e. in medio hebdomadæ.*

Argumentum est *providentia Dei, punientis tandem malos, & bonos remunerantis, licet interdum justo judicio sinat prosperari malos, & bonos opprimi.*

℣. 1. *Deus ultionum Dominus: Deus ultionum liberè egit.*

Deus, qui propriè solus *Dominus* est, cui omnia serviunt, est summus Judex, ad quem ultio scelerum omnium pertinet; &, quandocunque punire voluit peccatores, *liberè egit*, quia neminem timet, nullius personam accipit, nemo ei resistere potest. Id patuit in Lucifero, Diluvio, Sodomâ, Pharaone &c.

℣. 2. *Exaltare, qui judicas terram, redde retributionem superbis.*

Dixerat, Dominum esse ultorem scelerum,

jam